Lithocolletes et Nepticulae novae ex Lusitania

Auctore Candido Mendes

Lithocolletis Rebimbasi nov. sp. (Est. VII, fig. 5)

Alis expansis 9^{mm}. Anticis aureis, in medio parum ante apicem squamis fuscis conspersis. Strigulis argenteis in costa tribus, totidem in dorso oppositis, introrsus squamis nigris tenuiter marginatis, prima in utroque margine excepta. Prima costae striga, omnium maxima, a basi usque ad mediam costam marginem occupante ibique versus discum in angulum oblique dilatata. Prima dorsi lineari, juxta marginem, vix in medio incrassata. Tertia costali non obliqua sed perpendiculari. Linea media basilari nulla. Margine externo nigro marginato ac lilaceo-micante. Puncto ante apicem nigro. In ciliis marginis anterioris prope apicem lineis duabus nigris divergentibus, quarum inferior in caudulam producitur.

Posticis cinereis, ciliis flavidis.

Fronte et palpis niveis, nitidis, pilis verticis flavido-aureis, postice niveo mixtis.

Thorace linea media alba. Pedibus albo-flavescentibus, tarsis nigro maculatis.

Haec nova species, ad alarum ornamenta quod attinet, in mentem revocat *Lithoc. scitulellam* Z. et *L. parisiellam* Wk., maxime ob primam costae maculam; sed ab eis omnino distinguitur inter alia defectu lineae mediae basalis. Caudula in hac specie et in *scitulella* similis est.

Larva vivit in foliis *Quercus cocciferae*, infra, quae latissime circumfodit.

Pupa fit in medio intra parvam casulam excretis omnino coopertam.

Papilio evolat mense junio, non frequens.

Folia cum larvis et pupis hoc anno ad me misit ex nemore Collegii Barrensis prope Torres Vedras amicus meus Pater Emmanuel Rebimbas, cui speciem dicavi.

Lithocolletis cocciferella nov. sp. (Est. VII, fig. 4)

Alis expansis 8^{mm}. *Thorace, capillis, alis anterioribus aureis, linea basis longitudinali nivea, utrinque nigro marginata, ad tertiam usque alae partem producta, strigulis costae argenteis quatuor, duabus primis rostriformibus, postremis fere semilunaribus; dorsi strigulis tribus, prima impari, nulli costali opposita, ceteris duabus primis costae oppositis, media autem apicem versus incurvata, per mediam alam progressa, tertiae verticem saepius attingente. Strigulis omnibus,* prima quoque dorsi, *introrsus nigro marginatis. Puncto apicali nigro, ultimae costae strigulae saepe connexo. Limbo nigro marginato.*

Thorace unica lineola media alba ornato.

Ciliis et alis posticis albido flavescentibus sicut et pedibus, quorum tarsi sunt in articulorum suturis nigro circumsignati.

Ab omnibus similibus facile distinguitur per strigulam primam dorsi triangularem, imparem, intus nigro marginatam. Insuper a *Lith. joviella* Const. cui proxima est, differt strigulis dorsalibus multo minoribus et thoracis lineola albida unica, in *L. joviella* vero triplici.

Adsunt 12 in mea collectione, primo a me, deinde ab amico meo Emmanuele Rebimbas in nemore Collegii Barrensis (Torres Vedras) collectae.

Larva vivit in foliis *Quercus cocciferae* infra, frequens in Lusitania apud Torres Vedras, in duabus saltem generationibus, quarum papiliones evolant mensibus aprili et julio.

Pupa intra folium non omnino libera, sed intra mediam conchulam solum desuper molliter contextam circumscribitur.

Nepticula ilicis nov. sp. (Est. VII, fig. 8)

Alis expansis $5\text{-}6^{mm}$. *Capillis rufis, conchula albo-flavescente. Alis anterioribus squamis nigris, crassis, uniformiter dispersis, in apice minus confertis. In media margine dorsali macula albo-lutescente, fere semicirculari. Ciliis divisis, medietate externa alba. Po-*

sticis obscure cinereis. Antennis alarum dimidium non attingentibus. Penicillo anali rufo.

Nepticulae suberis St. valde similis; facile autem ab ea dignoscitur alarum macula, quae in *N. suberis* fasciolam transversam efficit, in *Nepticula* vero *ilicis* in semicirculum mediae dorsi margini adjacet, ita ut, alis in dorso conjunctis, orbicularem maculam efformet.

Larva — lutea, postremis segmentis vividius croceo tinctis, intra quae nitide apparent intestini circumvolutiones carneo colore. Vase dorsali conspicuo, minus luteo. Capite brunneo in primum segmentum duo veluti cornua ejusdem coloris emittente. Subtus rhomborum serie brunnei coloris, per medium linea quasi diagonali magis obscura in longum decurrente.

A larva *Nepticulae suberis* differt colore, qui est in ea glaucus vel nitido-viridescens, in hac vero *N. ilicis* est luteus.

Folia cuniculatim fodit juxta figuram (Est. VII, fig. 7) sed forma satis varia, unde fit ut intra folia a *Nept. suberis* distingui non possit. Subter non innotescit, desuper apparet epiderma castaneo colore. Circa punctum, a quo incipit, saepe maculam siccam videre licet.

Mense januario in foliis *Quercus ilicis* et *suberis*, frequentissima in hac Provincia Beira Baixa. Vivit eodem tempore ac *Nept. suberis*.

Pupa fit in terra sub foliis et cortice in casula saturate brunnea, ovali, depressa.

Papilio evolat mense maio.

Nepticula viridella (1) nov. sp. (Est. VII, fig. 9)

Alis expansis 6mm. Anticis nigris, squamis crassiusculis in apice minus confertis, circa medium fascia albo-flavescente aliquantum obliqua, non distincte circumscripta, nec semper continua, sed interdum squamis nigris in medio interrupta ideoque in duas maculas

(1) Ob viridem larvae colorem.

divisa, sua cuique margini adjacente. Ciliis divisis, dimidio externo albo.

Alis posticis obscure lutescentibus.

Coma straminea, conchula stramineo-albescente. Antennis nigris, mediam alam attingentibus. Corpore luteo, aliquantulum auro-micante. Pedibus luteis, anteriorum tibiis tarsisque, mediorum solis tarsis in anteriori parte nigris.

Larva colore primum viridi-coeruleo, deinde saturate viridi. Vase dorsali magis obscuro, desuper maximeque subtus bene conspicuo. Capite et primis corporis segmentis latioribus quam in aliis nepticulis. Capite castaneo, in lobulis lateralibus minus obscuro. Pilis nigris, brevibus et raris.

Vivit mense januario in foliis *Quercus suberis* et *ilicis* in hac Provincia Beira Baixa et insuper in foliis *Q. cocciferae* prope Torres Vedras. Primo cuniculos efficit tenuissimos, excretis plenos, deinde late circumfodit folium, quod desuper apparet pallide maculatum. Larva intus progreditur supina; ita saltem mihi visa est in foliis quae aperui. Frequens erat larva, papiliones autem paucissimi nati sunt ex multis foliis quae legi: tres e *Quercu coccifera*, quatuor e *subere*, nullus ex *ilice*.

Pupa domi facta est sub foliis terrae adhaerentibus, intra casulam brunnei coloris.

Papilio evolat mense augusto et ineunte septembri.


Colore corporis et pedum ac fascia transversa differt a *Nepticula suberis*, cui papilionis alae valde similes sunt. Maxime autem differt larvae colore et forma, moribus atque apparitionis tempore.

Rev.do Patri J. de Joannis, qui mihi, hos quatuor papiliones dignoscenti et describenti, in auxilium ut magister venit, gratias quam plurimas ago.















ESTAMPA VII


Fig. 1 — **Acraea zambesina** Auriv.
Fig. 2 — **Cecidothyris guttulata** Auriv. nov. gen. et sp.
Fig. 3 — **Craspia igneotincta** Auriv.
Fig. 4 — Ala sinistra **Lithocolletis cocciferellae** Mendes nov. sp.
Fig. 5 — Ala sinistra **Lithocolletis Rebimbasi** Mendes nov. sp.
Fig. 6 — Folium *Quercus suberis* a larva **Nepticulae viridellae** circumfossum.
Fig. 7 — Folium *Quercus ilicis* cum fodinis larvae **Nepticulae ilicis.**
Fig. 8 — Ala dextra anterior **Nepticulae ilicis** Mendes nov. sp.
Fig. 9 — Ala dextra anterior **Nepticulae viridellae** Mendes nov. sp.


Obs. — As fig. 1, 2, 3, 6 e 7 estão em tamanho natural; 4, 5, 8 e 9 muito augmentadas.



1



2



3



4


5


6


7


8


9